Bentornato Mio Signore

Gratus Rediisti Mi Domine

« Il Grande Libro della Vita »

« Magnus Liber Vitae »

Novum Testamentum Tertii Millennii – Pars Prima

Opus Divinum

SANCTISSIMA TRINITAS
et Maria Sanctissima, Nostra Domina Guadalupiana
ad Conchiglia

Die VII aprilis anno MMV- 12.40 - Iesus sic locutus est

Redeunte die « REVELATIONIS » Conchiglia datae, die VII aprilis anno iubilaeo MM inchoatae, mensis primo veneris die (feria sexta), Sacro Cordi Iesu dicato.

“ Conchiglia... Conchiglia Mea...
hic est dies Doloris et Passionis.
De Cruce...
prospicio singulos vultus filiorum Meorum ac fratrum Meorum tuorumque.
Video hesternos... hodiernos et crastinos
et visus quassat Cor Meum, quia
quod video...
est mors eorum Animae, nigrae factae propter peccatum.
Quod video...
horribile est ac intolerabile omnibus Terrae creaturis
prudentia et caritate praeditis.
Quod video...
Ego solus, qui Sum Deus hoc pati poteram ac possum.
AETAS IN QUA VIVIS, CONCHIGLIA...
CORRUPTISSIMA EST EX OMNIBUS AETATIBUS
ET MANDATUM QUOD TIBI DATUM EST
DIFFICULTATE AC DOLORE SOLUM EST MEO INFERIUS
TUUM EST...

ETIAMSI DE CAPITE AGATUR, DEFENDERE ECCLESIAM MEAM
VERAM ECCLESIAM MEAM!
Te statui quasi custodem ad limina Petri
ne intrent periuri et idolatres.
Mandatum tuum est laboriosum, Conchiglia...
quia singulos docere debes sanam ac Sanctam Doctrinam
per haec Verba Mea.
Omnes qui legunt responsum invenient de difficultatibus vel quaestionibus suis
enodatio est observare Praecepta Sancta quae iam novit cuiusque cor.
Ex alto Crucis tibi mandatum tradidi, filia...
UT IN HAC ALTERA PLENITUDINE TEMPORIS
MUNDUS DEI VERBO UTATUR.
Dixi... Sanguis meus est sanguis tuus...
et sanguis tuus guttatim profundendus erit.
Iam nunc sanguinem tuum aspicio, Conchiglia!
Praeparo te ad dies passionis tuae, quae valde acerba erit.
Carnifices tui in primo loco consederunt
ad melius dolores quos tibi afferent spectandos et in eis gaudendum!
Ex ore eorum exiet venenum... mendacium... calumnia et periurium
quemadmodum fecerunt adversus Meipsum.
Praeparo te, filia...
quia audacia eorum est vere diabolica
et postulo ut abhinc vehementius ores
quoniam in diebus venturis tibi deficient vires
et mens tua et voluntas tua dolore obscurabuntur.
O filia...
quantae sordes exeunt de ore eorum qui se profitebantur amare te.
Vero, num caritas quam ipsi putant...
eadem caritas est quam indico inter filios fratresque meos?
Lutum quod tibi obiciunt est lutum ex quo semetipsos liberaverunt
putantes se non videri.
AT EGO OMNIA VIDEO ET AUDIO!
Eorum hypocrisi non est modus decoris
et parvum quod fecerunt atque donaverunt...
NIHIL ALIUD ERAT QUAM SAPO AD ELUENDAS
SORDES QUAE IPSOS OPERIEBANT
ET ADHUC OPERIUNT.
Amor vel caritas in fratrem mundat Animam
aliter nihil prosunt opera et pecunia.
Fleas, filia... fleas
tamen noli flere nisi super illas pauperes ac miseras Animas...
quae postquam occaecatae sunt a Diabolo qui eis utitur magna peritia...
pereunt!
AD VERAM ECCLESIAM MEAM NOVANDAM
POTENTES ET SAPIENTES TOTIUS TERRAE COMMOVEBO
Ipsi confidunt consuetudine cum viris illustribus...
ingentibus donationibus pecuniariis...
consociationibus bene institutis quae ex milibus sociorum constant
EGO AUTEM... UT SOLEO
PARVA MANU HOMINUM PARATORUM AD PERDENDAM ANIMAM SUAM PROPTER ME
PERFICIAM MIRACULUM CARITATIS
QUOD SANCTI OMNIUM AETATUM EXSPECTAVERUNT

movimentodamoresanjuandiego@conchiglia.net
www.conchiglia.net *www.movimentodamoresanjuandiego.it*

UT CONSOCIATIO CARITATIS SANCTUS IOANNES DIDACUS
QUAE EST PALLA SANCTAE MATRIS MEAE MARIAE
OSTENDAT IN MAXIMO EIUS FULGORE
ECCLESIAM MEAM TRIUMPHANTEM.
Memento, filia...
SANGUIS MEUS AD CLARIFICANDUM PATREM...
SANGUIS TUUS AD CLARIFICANDAM MATREM...
ac die isto sollemni
Ego benedico te
in Nomine Patris
Matris
et Filii
et Spiritus Sancti.
Amen."

Die VII aprilis anno MM- 12.50 - Maria Sanctissima sic locuta est

" En ego, hic apud te, filia...
ut solum dicam:
ANIMUM CAPE, CONCHIGLIA!
ET FRUCTIBUS ADSENSUS TUI
UTETUR HUMANUM GENUS
QUOD ADHUC TORPET
NEC ANIMADVERTIT BENEFICIUM QUOD DONAVIT DEUS
CUM SPIRITUS VERITATIS ADIIT MUNDUM
IN SANCTO ANNO IUBILAEO...
DIE VII APRILIS ANNO MM.
Caput inclina, filia...
permane semper in silentio
et cor tuum semper pulset in modum Ave Maria."

Conchiglia
della Santissima Trinità

© Conchiglia - La Rivelazione - Bentornato mio Signore
... lege alias Revelationes

ADNOTATIO

Conchiglia della Santissima Trinità	*latine*	*Concha Sanctissimae Trinitatis*
Movimento d'Amore San Juan Diego	*latine*	*Consociatio Caritatis Sanctus Ioannes Didacus*

Conchiglia - MOVIMENTO D'AMORE SAN JUAN DIEGO
PAROLE D'ORO - BENTORNATO MIO SIGNORE
Via Manzoni, 12 - Casella Postale 99 - 33085 Maniago PN Italia
E-mail: movimentodamoresanjuandiego@conchiglia.net
www.conchiglia.net www.movimentodamoresanjuandiego.it